

& idiomatum *junctio*, tum eorum *communio*, tum vero etiam actualis *communicatio* seu *participatio*, humanae naturae *exornatio* & *hypostatica* in divina natura *appropriatio*, neutiquam uero sola *junctio*. Si unio in sensu *rigorosiore* & *strictiore* capiatur, recte *communicationi*, quod supra monitum est, formaliter contra distinguitur, tanquam effectus causae, posterius priori, consequens antecedenti, unde promiscue confundi non debent, aut una pro altera, sine adhibita cautela, poni, id quod Reformati opere ipso fateri necesse habent, dum *unionem* nobis aliquam & naturarum, & idiomatum *concedunt*, *communicationem* vero, prout nostra Ecclesia describit, *repudiant*, etsi nominatenus eam interdum concedant, quia cum unione personali, prout ab illis describitur, pro Synonymo habent, omnemque participationem excludunt. Ita vero nostrates minime procedunt, sed tametsi *unionem* & *communicationem*, ratione rei, unum idemque agnoscant, *formale* tamen *discrimen* inter utramque nolint sublatum, ut omnibus elusionibus viam obstruant. Non mirum esse, scribit JOH. SCHROEDERVS in Sceptro regali p. 457. quod F. C. sub nomine *communicationis* interdum *unionem* personalem, & sub hac illam simul describat, quia illa tria re ipsa non differant, unio personalis, naturarum *communicatio*, & *communicatio* Idiomatum seu *majestatis*. Non ita magnum esse *discrimen*, *unionem* personalem, si quid a *communicatione* naturarum (si nimirum specialis utriusque definitio tribuitur,) differat, hanc tamen in se complecti, (ubi nempe unio spectatur in sua latitudine) & ab utraque *communicationem* Idiomatum *discriminari*, sed non nisi ratione, adeoque secundum nostrum intelligendi ordinem, quo prius concipiamus naturam, quam idiomata ejus, tametsi haec cum natura sit idem, eodemque sensu *communicationem* istam dici solere consequens *unionis*. Id quod etiam faciunt Formulae Concordiae Autores, qui, ubi antea asseruerant, *H. N. in Christo accepisse majestatem*, SECUNDVM RATIONEM HYPOSTATICAE VNI-
ONIS, nolunt tamen *utrumque* habere plane pro una eademque,